

dicti Capituli, vel majori parte ipsorum diligenti inquisitione prehabita, si de eorum culpis & demeritis per Inquisitionem liquebit eandem, possit eos deponere, & a suis administrationibus perpetuo removere: quibus sic amotis, si in hac parte contra eos visum fuerit injuste processum, liceat juxta Sanctiones Canonicas ad Sedem Apostolicam appellare, & prosequi causam suam.

Contra Priorem absentem non licet procedere.

De Duratione Capituli Generalis, ejus que prorogatione.

§. 14. Sed ne dolus, vel fraus, aut malitia interveniat, ubi justitie zelus, & charitatis fervor cum omni debent integritate vigore; Non liceat contra Priorem absentem, nisi prout jura permittunt, procedere quomodolibet ad predicta.

§. 15. Generale vero Capitulum dicti Ordinis duret, & continuetur ordinarie per sex dies, & si necessaria causa, vel utilis Abbati, & Diffinitoribus videatur, propter quam idem Capitulum debeat prorogari, iidem Abbas, & Diffinitores, vel major pars eorum possint dictum Capitulum usque ad alios sex dies predictos sex primos immediate sequentes ulterius prorogare, ut ea, que non potuerunt infra prelibatos sex dies forsitan expediri, in prorogatione ipsa effectum expeditionis debite fortiantur. Quo quidem durante generali Capitulo Claves Portarum, & Fortalitorum ac dominium dicti Monasterii Grandimonten. penes Abbatem remaneant, prout consueverant penes Priorem hactenus remanere.

Diffinitorum facultas complendi ea, que in eodem Capitulo completa non fuerant.

§. 16. Quod si aliqua jam exposita in presentia dicti Capituli, vel majoris partis ipsius per memoratos Diffinitores restant agenda, finito dicto Capitulo memorati Diffinitores vel ipsorum pars major, aliis tamen cum Diffinitoribus, ut cum ipsis super illis procedant primitus, requisitis in Monasterio Grandimonten. procedere, illaque complere, diffinire, punire, & corrigere valeant, ac de ipsis cognoscere, & etiam judicare.

De Die Capituli cogendi, & Diffinitorum numero.

§. 17. Et quia ubi multitudo, ibi confusio esse solet, volumus, quod in quolibet Generali Capitulo Grandimonten. octo Diffinitores tantummodo eligantur, qui computato Abbate, qui una cum eis in Capitulo eodem intererit, novem dumtaxat numero, & non plures existant. Quandoquidem generale Capitulum anno quolibet in Grandimonten. Monasterio precipimus celebrari: Illudque die Lunę ante Ascensionem Domini nostri Jesu Christi incipiat, & continue sine interpolatione duret per sex, vel duodecim dies, ut est superius ordinatum.

Qui ad illud teneantur accedere.

§. 18. Ad hujusmodi autem generale Capitulum venire teneantur, & debeant omnes, & singuli Priores Conventuales dicti Ordinis, quilibet videlicet cum uno tantum Socio sui Conventus Clerico, & Professo. Si vero venire nequiverint canonico impedimento detenti excusationem suam per unum Fratrem sui Conventus Clericum, & Professum sub instrumento publico, vel Sigillo authentico mittere teneantur, qui coram Notario, qui excusationis hujusmodi conficiet Instrumentum, vel authentica persona, cui fides debeat adhiberi, excusationem ipsam esse justam, veram, & legitimam asseverent proprio juramento.

§. 19. Ut autem in eodem Capitulo sincere quiete, & salubriter procedatur, & materia disentionis cujuscumque amputetur, statuumus, quod Abbas, & Prior Clausuralis, qui locum Subprioris tenebit, de cetero Cantor & Procurator dicti Monasterii dumtaxat, & quilibet Prior Conventualis, ejusque Socius, qui cum eo, ut premissum est, ad Capitulum venerit supradictum, videlicet quilibet ipsorum octo Fratres Clericos ipsius Ordinis professos, qui per sex annos ad minus in eodem Ordine professi fuerunt in dicto Monasterio, tunc presentes in Capitulo ipso pro Diffinitoribus in scrutinio electis ad hoc tribus scrutatoribus nominabunt, qui mox post scrutinium publicabunt eisdem: illi octo, quos plures voces numero habuisse constiterit, Diffinitores existant omnium Negotiorum predictum Ordinem contingentium, que agenda fuerint illo anno; sed hujusmodi eorum disentionis officium ad sequentem annum nullatenus extendatur, nec in anno proximo sequenti possint iidem in Diffinitores etiam ex electione assumi. Quod si forte iidem nominati, vel ipsorum aliqui in vocibus sint aequales, antiquiores in hujusmodi nominatis ad eisdem disentionis officium assumantur. Abbas vero cum duobus antiquioribus Diffinitoribus ipsorum in quolibet Capitulo generali tres nominet scrutatores, pro recipiendo scrutinio Capituli subsequenti: districtius inhibentes, ne super iis colligationes, conjurationes, aut conspirationes fiant, aut interveniant quoquomodo: & contrarium facientes eo ipso penam contra conspiratores in Ordine ipso statuta incurrant.

§. 20. Exhortamur itaque omnes ipsos, & singulos per misericordiam Dei, eis in virtute sancte obedientie injungentes, quod prece, pretio, affectione qualibet, promissionibus, & passionibus quibuscumque penitus & omnino submotis, sinceris, sanctis, & puris mentibus, & sine aliqua pravitate solum Deum habendo preoculis ad electionem Diffinitorum hujusmodi procedatur.

§. 21. Expensas autem trium primorum dierum ejusdem Capituli Generalis Priores & ipsorum Socii sic persolvant, prout idem Clemens Predecessor noster in suis literis super ipsius Ordinis reformatione consecutus statuit persolvendas. Pro expensis vero Festivitatis Ascensionis Domini dicti Priores penitus nihil solvant, sed si ultra tres dies predictos remanere contigerit, nisi retenti fuerint specialiter voluntarie per Abbatem, nihilominus eis ministrabitur de bonis Monasterii memorati.

De expensis Capituli ejusdem.

§. 22. Ceterum quia idem Clemens Predecessor noster statuit, ut cedente vel decedente seu amoto quolibet Correctore dictarum Domorum, quibus gubernabantur nunc usque, omnia bona mobilia, que idem Corrector tunc habebat in pecunia numerata, auro, vel argento, in massa, vel vasis, aut in lapidibus, seu aliis rebus pretiosis, aut libris, qui non fuissent proprii illius Celle vel Domus, penes quoscumque reperta fuissent, nec non & meliorem Equum, seu Equitaturam quem

De bonis Priorum decedentium.

quem idem Corrector tunc haberet, liceret dicto quondam Priori Grandimonten. in utilitatem suam, & ipsius Monasterii convertere sine contradictione cujuscumque quacumque Constitutione in contrarium edita non obstant; Nos attendentes, quod idem Statutum in depauperatione ipsarum Domorum, & prejudicium non modicum redundabat, presentium auctoritate statuimus, quod cedente, vel decedente, aut amoto aliquo de Prioribus antedictis Abbas Grandimonten., qui est, & pro tempore fuerit, de Bonis Prioris cedentis, vel decedentis, aut amoti prefati non nisi unum Equum, seu Equitaturam, unum Breviarium, & unum de melioribus vasis argenteis, vel aureis, & jocalibus, ac lapidibus pretiosis, ac de quolibet jocali unum melius dumtaxat, & non ultra petere debeat, vel habere: sed totum aliud ipsi Prioratui convertendum in utilitatem ipsius volumus remanere.

Quidam Clementis V. Constitutionem confirmat.

§. 23. Quia vero ex precepto Regule dicti Ordinis habetur, quod Fratres dicti Ordinis nominis bini, & bini propter honestatem incedant, & quod nullus ex dictis Fratribus carnes comedat, nisi sit debilis & infirmus, diebus duobus in Septimana dumtaxat exceptis; Volumus & mandamus ordinationem dicti Clementis in suis super hoc confectis literis adnotatam sine moderatione alia inviolabiliter observari.

Firmitas, & Observantia hujus Constitutionis.

§. 24. Demum tamen ad fundandam Deo auctore perpetuam pacem in Ordine prelibato curiosam nostre sollicitudinis operam duximus apponendam, & speramus in Domino, quolibet ex ipso disentiones, & scandala radicitus esse submota; decernimus, & Apostolica auctoritate statuimus hujusmodi nostram ordinationem, seu editionem presentibus adnotatam jubemus, & volumus perpetuo inviolabiliter observari: Non obstante si dictorum Predecessorum nostrorum precepta, statuta, ordinationes, seu editiones, vel ipsorum aliqua contenta in suis super hoc confectis privilegiis ab hujusmodi nostre ordinationis, & reformationis ordine, ac etiam ipsa Regula in punctis aliquibus deviant, que quantum ad deviationem ipsam, & in quantum huic ordinationi nostre possent esse contraria juribus vacuum omnino, & nullius esse volumus firmitatis: In aliis autem, que ab hujusmodi nostre ordinatione non deviant, eisdem privilegiis, & regula in suo robore duraturis.

Enumeratio singulorum Prioratuum, seu Cellarum cum Granis, & Numerus Fratrum in quolibet Prioratu substatuendus.

§. 25. Denominationem vero dictorum Prioratuum Conventualium, & Domorum, seu Cellarum dicti Ordinis cum numero certo dictorum Fratrum tam ipsi Monasterio, quam singulis ipsorum Prioratuum, ut premititur, unitarum statuto presentibus fecimus adnotari, que talis est Prioratui de Expeyssa Cabilonen. Diocesis, Domos de Factha Bisuntina, & de Brolio Eduen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Fagia Nivernen. Diocesis, Domos Columna ejusdem Nivernen., de Fontaneto Antiodoreni., de Fonte Gadonis Bituricen. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de San-

cto Mamico Senonen. Domos de Cha unos Bituricen., & de Carboneriis Ejuen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Durione Senonen. Domos de Frabis ejusdem Senonen., & de Liviano Lingonen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Castronovo Bituricen. Domos de Castaneriis de Podio Cilheso, & de Fonte Albo ejusdem Bituricen. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de Vileris Turonen. Domos de Sanzeva, ac de Molins Bituricen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Bostoraheris Turonen. Diocesis, Domos de Montemissano, ac de Clarosolio ejusdem Turonen. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de Pomerio acti Turonen. Diocesis, Domos de Fontemoro, & de Bostheto Pictaven. Diocesis, in quo sint quindecim Fratres; Prioratui Naya Andegaven. Diocesis, Domum de Crodone ejusdem Andegaven. Diocesis, in quo sint quindecim Fratres; Prioratui de Monteguidonis Cenomanen. Domum de Primonderia Andegaven. Diocesis, in quo sint quatuordecim Fratres; Prioratui de Mones Andegaven. Diocesis, Domum de Brohoberlais ejusdem Andegaven. Diocesis, in quo sint quatuordecim Fratres; Prioratui de Bursley Cenomanen. Diocesis, Domum de Hubauderia ejusdem Cenomanen. Diocesis, in quo sint quatuordecim Fratres; Prioratui de Quercugalonis Sagien. Diocesis, Domos de Bellafago, ac de Alcone Carnoten. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Bellomonte Ebroicen. Diocesis, Domum de Berberia Sagien. Diocesis, in quo sint quatuordecim Fratres; Prioratui de Boloma Carnoten. Diocesis, Domos de Clariaco, ac de Masfiliaco Aurelianen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Loheya Carnoten. Diocesis, Domos de Bosteo Sancti Martini, ac de Mollinellis ejusdem Carnoten., & de Caudra Aurelian. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de Meanello Parisien. Diocesis, Domos de Belvaco Belvacen. Diocesis, ac de Fontana Rothomagen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Vicens Parisien. Diocesis, Domos de Bonadomo Sveffonen., ac de Alveto Senonen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres; Prioratui de Rorayo Melden. Diocesis, Domos de Ruyssino, & de Saviniaco Sveffonen. Diocesis, in quo sint sexdecim Fratres, Prioratui de Machareto Treceen. Diocesis, Domos de Arvico ejusdem Treceen., de Mastone Calthamniens., ac de Castrovillani Lingonen. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de Podiocaprariis Pictaven. Diocesis, Domos de Entretis, ac de Espandio ejusdem Pictaven., & de Altis Ripis Turonen. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de Valholla Pictaven. Diocesis, Domos de Trossoya, ac de Bosteo pulverelli ejusdem Pictaven., & de Lobertio Lemovicen. Diocesis, in quo sint decem & octo Fratres; Prioratui de Quarta Pictaven. Diocesis

ceffis Doms de Fontecrozo . de Eriterva . ac de Fonte Ade ejuſdem Piſtaven. Diocēſis, in quo ſint decem & ſeptem Fratres ; Prioratui de Boſco alene Piſtaven. Diocēſis Doms de Chaffayo , ac de Bona Radice Mal- leacen. Diocēſis, in quo ſint ſexdecim Fra- tres ; Prioratui de Bandolia Malleacen. Diocēſis Doms de Orbiterio , & de Rupe ter- veria , ac de Dina Lexovien. , & Piſtaven. Diocēſis, in quo ſint decem & octo Fratres ; Prioratui de Sarmafia Xanctonen. Diocēſis Doms de Lanea ejuſdem Xanctonen. ac de Barbatorta Lexovien. Diocēſis, in quo ſint ſexdecim Fratres ; Prioratui de Jartiaco Xan- ctonen. Diocēſis Doms de Brolio , ac de Urcia prædiſta Xanctonen. Diocēſis, in quo ſint ſexdecim Fratres ; Prioratui de Ravello Engoliſinen. Diocēſis Doms de Ranſeco , ac de Belloſaltu Petragorice . de Gandalria- co Xanctonen. de Boſco Jenino Lemovicen. Diocēſis, in quo ſint viginti Fratres ; Prio- ratui de Fagia Jumiliaci Petragorice. Diocēſis Doms de Royſeto , ac de Bellaliva Lemovicen. Diocēſis, de Planha , de Char- rihaco , ac de Podio Guberti Lemovicen. Diocēſis, in quo ſint viginti & duo Fratres ; Prioratui de Frantorio Caturcen. Diocēſis Doms de Caturco , de Deganhares , ac de Boſco minori ejuſdem Caturcen. , & de Vayf- feris Sarlaten. Diocēſis, in quo ſint viginti duo Fratres ; Prioratui de Deſenſo Agennen. Diocēſis Doms de Ribaiolia ejuſdem Agen- nen. ac de Sancta Roſa Lectoren. Diocēſis, in quo ſint ſexdecim Fratres ; Prioratui de Guarugia Agennen. Diocēſis Doms de Moy- rinhaco ejuſdem Agennen. de Luco , de Ba- thuou , & de Lauda Burdegalen. , ac de Bre- da Petragorice. Diocēſis, in quo ſint viginti & duo Fratres ; Prioratui de Pinello Tholo- ſan. Diocēſis Doms de Loco Dei Montif- alban. Diocēſis, in quo ſint quatuordecim Fratres ; Prioratui de Monteherbedonis Mag- alonen. Diocēſis Doms de Salvatico Ru- thenen. de Petroſo Caturcen. , ac de Mon- tibus Euncis Ajumon. Diocēſis, in quo ſint decem & ſeptem Fratres ; Prioratui de Vina- ya Anicien. Diocēſis Doms de Belloioco Lugdun. , de Gurcia , ac de Blandona Eduen. & de Prunbols Claromonten. , in quo ſint decem & octo Fratres ; Prioratui de Chava- no Claromonten. Diocēſis Doms de Faheto ejuſdem Claromonten. de Groſſobosco Bitu- ricen. , & de Jayaco Lemovicen. Diocēſis, in quo ſint decem & octo Fratres ; Prioratui de Sancto Michaelo Lodoven. Diocēſis Do- mum de Combaromal Ruthenen. Diocēſis, in quo ſint quatuordecim Fratres ; Prioratui de Caſtanelo Lemovicen. Diocēſis Doms de Porteris , de Chauſelis , de Majorigortia , & de Salmurio ejuſdem Lemovicen. Diocēſis, in quo ſint decem & octo Fratres ; Monaste- rio quoque Grandimonten. Doms de Serra, de Iſpania , de Eclufa , de Mureto , de Tre- zauf , de Roſſeto , de Stricto Cornu , de Brun- dellis , de Boſco viridi , de Foreſta . de Mon- tenſo Lemovicen. , & de Guarda Xanctonen. Diocēſis : In Regnis quoque Navarra & Ang- lia Doms Sancti Martialis de Tutela Ti-

raſonen. & Albiſburis Ereforden. de Esha- da Eboracen. & de Creſſoalle , & Xnenen. Diocēſis Unimus & incorporamus & adnecti- mus, & huiusmodi unionem, incorporationem, annexionem perpetuis futuris temporibus in- violabiliter obſervari præcipimus Auctoritate Apoſtolica , de dictorum Fratrum conſilio , & Apoſtolice plenitudine poteſtatis . Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ordinationum , conſtitutionum , abſolutionis . ſtatutorum , voluntatum , adun- ctionis , applicationis , præceptorum , inhibi- tionum , exortationis , injunctionis , manda- ti , juſſionis , vacationis , unionis , incorpo- rationis , & annexionis infringere &c.

Datum Avenioni quinto decimo Kalen- das Decembris Pontificatus noſtri Anno Se- cundo .

Claula .

Dat. die 17. Novembris 1317. Au. II.

X I I I .

Damnatio ſecta Bizochorum, Beguinorum, Fraticellorum, Pſendofratrum S. Franciſci de Aſſiſio :

Joannes Episcopos, Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filiis electis, ad quos litera ista pervenerint. Salutem & Apostolicam benedictionem.

GLoriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, quam Christus dilexit, pro qua semetipsum tradidit, ut ipsam sanctificaret, mundans eam lavacro aque in verbo vite, David Propheta cunctis prælatam gentibus, spiritu revelante cognovit, & splendorem tantæ dignitatis admirans, illam sub similitudine regalis fastigii demon- stravit dicens: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, nimi- rum ipsa Christi sponsa virgo Mater Ecclesia, quia inclyto capiti suo Domino Jesu Christo inviolabilis fidei glutino copulatur, & ejus imperio prona obeditione subternitur, cum illo unum effecta tam incomparabilis unio- nis, merito rebus omnibus more regio prin- cipatur. Quæ dum pia, ac devota religione terrena despicit, cælestia appetit, omne fini- strum premens, a dextris sponsi gloriosa con- sistit: & quia gemine caritatis splendore omni ex parte rutilat, in vestitu aureo etiam Ang- elicis spiritibus admiranda coruscat. Cujus inæstimabilis decor, quia vario vivendi gene- re, in una tamen caritate perficitur, quasi de vestis pulcherrimæ varietate letatur.

§. 1. In hoc igitur vestimento tam mira- bili varietate distincto. Minorum Fratrum, sacer Ordo, ab ipso suæ fundationis exordio, Almi Confessoris B. Franciſci regulari tradi- tione, & Apoſtolice Sedis auctoritate, atque confirmatione indissolubili quadam textura, connexus, fide clarus, spe validus, caritate profusus, humilitate placidus, obeditione de- votus, velut singulare jubar sanctitatis, exem- plo ac doctrinæ verbo per universonum orbem

Proemium .

Elogium Or- dinis Franci- scanorum .

cla-

Eius decorem perdidit quidam homines ob- nubilare fatu- gunt .

Se dumtaxat S. Franciſci regulam ob- ſervare dicit- ur .

Eos reprime- re curavit Clemens IV.

At corſ Cle- mente V. no- ves querelas propoluit .

His vero de- dato exami- nati illor ſunt Superioribus voluit obedi- re, ſineque querelis fecit .

claruit, & ecclesiastico decori multum uti- litatis & plurimum inclytæ alacritatis inveni- tus, ubi virtutum segetes uberius videt exur- gere, ibi scandalorum vepres & dissidiorum zizania fatagit cumulatius seminare, nonnul- li hujus sacre Religionis solo nomine profes- sores, dum altiora se petunt, dum præpo- steris & perturbatis gradibus citius ruituri, in magnis & mirabilibus supra se ambulare co- nantur, illius delusi fallacis, qui se, ut alios decipiat, in lucis A. gelum transfiguratur, bi- metipſis ruinam, infirmioribus scandalum, solidioribus vero probationem & meritum, pepererunt, pro viribus fatagentes tam præ- clari Ordinis unitatem scindere, obnubilare famam, perturbare quietem.

§. 2. Verum quia humani generis inimi- cus, ubi virtutum segetes uberius videt exur- gere, ibi scandalorum vepres & dissidiorum zizania fatagit cumulatius seminare, nonnul- li hujus sacre Religionis solo nomine profes- sores, dum altiora se petunt, dum præpo- steris & perturbatis gradibus citius ruituri, in magnis & mirabilibus supra se ambulare co- nantur, illius delusi fallacis, qui se, ut alios decipiat, in lucis A. gelum transfiguratur, bi- metipſis ruinam, infirmioribus scandalum, solidioribus vero probationem & meritum, pepererunt, pro viribus fatagentes tam præ- clari Ordinis unitatem scindere, obnubilare famam, perturbare quietem.

§. 3. Dudum liquidem huiusmodi super- stitiosi & discoli homines, in provincia Pro- vincie adversus communitatem præfati Or- dinis insurgentes, & se solos, suosque com- plices de Observantia regulæ B. Franciſci mi- ra vanitate jaſtantes, reliquam Ordinis mul- titudinem, de transgressione regulæ, perpe- ram judicando notabant. Nonnullos profane multitudinis, verbis mendacibus, & mentis sanctitatis obtentu, in sui erroris devium ad- ducunt.

§. 4. Quorum vipereos partus in ipſo ſui exortu felicis recordationis Nicolaus Papa Quartus prædeceſſor noſter, ne in multorum pernecium alerentur, ad veritatis petram, elidere cupiens, Generali Miniſtro, qui tunc temporis memorato Ordini præſidebat, diſtri- cte præcipiendo mandavit, ut huiusmodi præ- ſumptores, diſciplina debita coereret, prout in literis ipſius prædeceſſoris noſtri plenius continetur.

§. 5. Sed horum peſtilentiſſimas novita- tes, hoc remedio compreſſas fuiſſe potius quam extinctas redidivus error enunciat, & triſtis experientia manifeſtat. Nuper enim nonnulli factionis ſuperſtites memorate, adjuñctis ſibi quampluribus de dicta Provincia Provincia, & provincia Thuſcia, & aliis diverſarum, fratibus nationum, coram pia memoria Clem. Papa V. prædeceſſore noſtro, diverſas regulæ quaſtiones, diverſaque contra univerſitatem dicti Ordinis propoſere querelas, & quaſi ipſi ſoli, ipſorumque complices, B. Franciſci Re- gulam & perſpicacius intelligerent, & effi- cacius adimplerent, notam actionis contra- rie, in univerſitatem præfati Ordinis impie detorquebant.

§. 6. Qui Clemens prædeceſſor huiusmo- di homines benignitate magis, quam ſeveri- tate fatagens emendare, illorum peſtiferos conatus patientiæ virtute tolerans, prædictas quaſtiones atque querelas pluribus Archie- piſcopis, Episcopis, & ſacre Theologie pro- feſſoribus, & aliis juris ſcientia præditis diſcre- tione dotatis examinandas commiſit, & ad ſuam audientiam perferendas. Quibus dili- genter, & cum multa maturitate peractis, ſæpe nominatus Clem. prædeceſſor de veri- tate certior factus, præfata religionem ſan- ctam & (ut ejus utamur ſermonibus) muris obſervantiæ regularis firmiter undique aſſeruit

circumcluſam, & quædam, quæ circa regu- lam dubium ſenſum aſſerre poterant, decla- ravit: diſtrictè præcipiendo mandans, ut dicti fratres, qui contra præfata communitatem Ordinis huiusmodi quaſtiones moverant & querelas, ad Conventus, unde diſceſſerant, reverterentur, & ſuis ſuperioribus obediunt humiliter & devote, harum quaſtionum & querelarum prætextu ad Romanam Curiam de cætero minime reverſuri.

§. 7. Et ut ipſius ſalubris ordinatio ad op- tatum duceretur effectum, venerabilibus Fra- tribus noſtris Archiepiſcopo Januensi, & Lu- cenſi, ac Bononiensi. Episcopis per ſuas litem- ras demandavit, ut ipſi, vel alter eorum per ſe, ſeu alium, vel alios, fratres illos de provincia Thuſcia, qui occasione præfate diſ- ſenſionis & adherentiæ, ad illicita laxatis ha- benis, quædam loca dicti Ordinis in provin- cia Thuſcia conſtituta occupaverant, & oc- cupata temeritate damnabili detinebant, ſuis alias obedire Superioribus aſpernantes, com- pellerent, ut eiſdem locis, per eos occupa- tis, omnino dimiſſis, ad ſuorum Superiorum obediuntiam, qualibet exceptione & occaſi- one poſtpoſitis reverterentur, moraturi ubi- cumque, & ſicut iidem Superiores ducerent diſponendum.

§. 8. Quorum literarum auctoritate di- lectus filius Bernardus Prior Eccleſiæ ſancti Fidelis juxta Senas, cui præfatus Bononiensis Episcopos ſuper hoc commiſerat vices ſuas, in ipſos fratres dicti mandati contemptores, eorum exigente contumacia, excommunicati- onis ſententiam promulgavit, & eos fecit excommunicatos publice nunciari.

§. 9. Qui Eccleſiaſtica vincula non verent- tes, non abſque temeritatis audacia, apoſta- ſia nota, mentisque veſania, contra Apoſto- lica mandata, & dicti Ordinis inſtituta, ſe ad partes Inſulæ Sicilia tranſulerunt, & inibi ab obediuntia, & unitate dicti Ordinis, & Præla- torum ejus ſe totaliter ſeparantes, quaſi memo- rati Ordinis B. Franciſci ſtabilem, firmam- que compaginem reſcindere ſolida præſum- ptione valerent, novi Ordinis, immo abho- minabilis horroſis callis conatibus, moliti ſunt ponere fundamenta, tam deteſtabili turba præficietes magis idolum, quam prælatum, Henricum de Cena dicti Ordinis reſugam, & apoſtatum fugitivum.

§. 10. Et ut tam ſedo capiti membra ce- tera reſponderent, Provinciales Miniſtros, Cuſtodes præterea, & Guardianos eligere temeritate ſimili præſumpſerunt, plurimos ad ipſorum ſedam recipere, Prædicatores, & Confefſores aſſumere, eoſdemque ad huiusmo- di conſeſſionis, & prædicationis officium tranſ- mittere, loca etiam a locis Fratrum ipſius Ordinis ſemota, ad habitandum de novo con- ſtruere, ſeu conſtruſta recipere, contra Ro- man. inſtituta Pontif. in animarum ſuarum pe- riculum, aliorumque pernecium attentantes.

§. 11. Et ut ipſorum error veritas, & impietas religio putaretur, temeritate prop- ria quosdam habitus cum parvis caputiis, cur- tos, ſtrictos, inuſtatos, & ſqualidos, ſimu- lationis conſcios, irriſionis amicos, ac diſſi- di

Nonnullosque delegavit, qui eos ad obe- diendum Su- perioribus compellerent.

Incontum- ces quosdam præfate ex- communicati- o.

Si vero in- Siciliam ſe- cedereſ no- vem Ordines inſtituere ma- li ſunt, cui Apoſtatum quemdam præſecere .

Provinciales, ceterosque, elegerunt Mini- ſtros, novos- que conſtru- xerunt Conve- ntus .

Habitus mu- ſtratus .

dii non ignaros, discrepantes a communitate Ordinis supradicti assumere, & in simplicium cordibus, ut eosdem secum in devium erroris adducerent feminare, dictos habitus fore secundum regulam B. Francisci, & in ipsis solum pseudofratribus Ordinem consistere, famamque aliorum fratrum praefatae communitatis diversis convitiis lacerare procaci impudentique versutia praesumpserunt.

In multis inde erroribus lapsi sunt.

§. 12. Verum quia sic sunt casus mentis, ut primo quidem infelix animus per superbiam intumescat, & exinde contentione, de contentione in schisma, de schismate in haeresim, & de haeresi in blasphemias infelici gradatione, immo praecipiti ruina descendat, praedicti temeritatis atque impietatis filii; ut habet fide digna relatio, ad eam sunt mentis inopiam devoluti, quod aduersus praclarissimam & saluberrimam Christianae fidei veritatem impie sentiunt, sacramenta Ecclesiae veneranda contemunt, & in gloriosum Ecclesiae Romanae Primatum, cunctis nationibus percellendum ab ipso conerendi citius impeti, caeci furoris impingunt.

§. 13. Et ne aliquid praedictarum blasphemiarum tolerabile videatur, aut dubium, de plurimis eorum erroribus aliquos ne latere, & perinde nocere valeant, praesentibus duximus annotandos.

Duos fingunt Ecclesias.

§. 14. Primus itaque error, qui de istorum officina tenebrosa prorumpit, duas fingit Ecclesias, unam carnalem, divitiis pressam, effluentem divitiis, sceleribus maculatam, cui Romanum Praesulem, aliosque inferiores prelatos dominari asserunt. Aliam spiritualem frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam: In qua ipsi soli, eorumque complices continentur, cui etiam ipsi spiritualis vitae merito, si qua fides est adhibenda mendacis, principantur.

Quismodi error reperitur.

§. 15. Quae impietas sic istis sceleratis est propria, ut a nulla haeresi possit esse sejuncta. Quippe omnes impii; dum prave in fide sentiunt, dum ab unitate Ecclesiae, atque obedientiae per contumaciam separantur, universitatem fidelium carni, se ipsos vero spiritui servire frivolis assertionibus mentiuntur: quorum demeritis nihil adiacere posse, illi manifeste cognoscunt, qui sicut unicum Christum praedicant, sic unam Ecclesiam profitentur Doctore gentium attestante, qui ait. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ejus. Una est igitur sancta universalis Apost. atque Rom. Eccl. quae non humana praesumptione, sed potestate nititur, sed divina, & prorsus incommutabili auctoritate fundatur, cujus egregium primatum, si quis impie docendo negat, non solum criminofus aut schismaticus esse convincitur, sed haereticus impietatis suae merito, divina etiam atque humana ratione, & auctoritate censetur. Quia peccatum paganitatis incurrit, quisquis, dum se Christianum asserit, Sedi Apostolicae obedire contemnit, cui inter cetera dona hoc privata largitione concessum est, ut saluberrima fides, quam B. Petrus caelesti Patre revelante cognovit, & immensa potestas, quam ei in eodem Apostolorum Prin-

cipe Christus indulsit, sic per legitimam Rom. Pont. successionem illibata decurrat, ut illam usque ad finem saeculi, nec perfidia maculet, nec adulterini pastoris Pontificium interrumpat. Quam velut validissimam navem divinae gubernationis praesidio communitam, nec variarum opinionum, atque haeresum turbines, a suae anitatis compage divellant, nec tyrannicae potestatis incurfus ad ima deprimit, quin potius & illos auctoritate atque veritate superans, & istos patientiae virtute supplantans, inter blanditias terrenae felicitatis, & asperitates saeculi felici navigatione media graditur, donec ad portum futurae beatitudinis duce Domino veniat. In qua velut in Arca animalia munda, atque immunda servantur: sicut in area frumenta paleis permiscetur: quemadmodum in sagena boni pisces & mali coeunt, in agro zizania & triticum simili generatione succrescunt, nec tamen ipsam membrorum infirmitatem immunditia polluit, extollit levitas, corrumpit nequitia, insolentia scindit, sed manens integra atque perfecta, adoptionis filios fide generat, verbo nutrit, auctoritate defendit, poenitentia purgat, patientiae virtute supportat, nec illam divitiarum cumulus suffocat, quia illis tamquam creatura Dei bona cum gratiarum actione bene utitur, & aurum habet, non ut in illo finem constituat, sed ut necessitatem patientibus misericorditer largiendo succurrat. Extra quam salus esse non potest, quia natura non patitur, ratio non finit, & divina providentia non permittit, ut membrum, quod a totius corporis unitate sejungitur, virtute, quae a vertice in corpus influit, aliquantulum vegetetur. Quo fit, ut apud istos vaniloquos, nec sancta paupertas, nec castitas munda, nec virtus possit esse perfecta, quia consequens est, ut omni virtute, omni bonitate priventur, qui Deum virtutum, cujus est totum quod est optimum, per inobedientiam derelinquant.

Sacerdotes praeter ipsos, eare faculitate administrandi Sacramenta praeparant qui error refellitur.

§. 16. Secundus error, quo praedictorum insolentium conscientia maculatur, Venerabiles Ecclesiae Sacerdotes, aliosque ministros, sic jurisdictionis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre, nec Sacramenta conficere, nec subiectum populum instruere valeant, vel docere; illos fingentes omni Ecclesiastica potestate privatos, quos a sua perfidia viderint alienos, quia ipsos solos (ut ipsi somniant) sicut spiritualis vitae sanctitas, sic auctoritas perseverat. In qua se Donatarum sequuntur errorem, qui olim facti schismate ab unitate Ecclesiae recedentes, ita in sua secta Dei gratiam dixerunt esse coactam, ut nullus eam recipere esset idoneus, qui non foret ipsorum scelere maculatus.

§. 17. Quorum impietatem zelus fidelium illo in tempore sic exhorruit, sic pia persecutione compressit, ut homines tam pestilenti contagione resperfos, & censura Ecclesiastica anathematis mucrone feriret, & legum publicarum sanctio extremo iudicio praedamaret. Quia dignum erat & aequum, ut contra illos utriusque gladii potestas exurgeret,

ret, qui auctoritatem Ecclesiasticam a solo Deo traditam, & in perpetuum duraturam, profanis assertionibus abnegarent. Manet igitur etiam istis reclamantibus, & usque ad finem saeculi permanebit apud Romanum Praesulem, sicut summa auctoritas, sic immensa potestas; quam sicut gratis accepit, sic in eos, quos in partem solitudinis evocat, in unitate fidei & Romanae Sedis obedientia permanentes, benigne refundit, tam fortiter atque suaviter moderamina indulta potestatis exercens, ut in corpore Christi, quod est Ecclesia, a summo vertice usque ad extrema vestigia, nihil per inobedientiam dissolutum, nihil relinquat ordinis confusione turbatum. Cujus suavissimum sed validissimum jugum, impii, quia humiliter gestare refugunt, quod rebus non possunt laceferre, maledictis atque convitiis non desistunt.

Tertius error iuramentum a peccato non esse sejunctum quod impugnetur.

§. 18. Tertius istorum error in Valdensem errorem conjurat, quoniam & ii, & illi in nullum eventum asserunt fore jurandum, dogmatizantes mortalis criminis contagione pollui & poena teneri, quos contigerit iuramenti religione constringi.

§. 19. Quorum blasphemias pietas Christiana condemnans non levitate mota, sed utilitate, aut necessitate coacta, veritatem praetoritur, atque praesentium, & certitudinem futurorum, iuramentum religione confirmat, certissime tenens, quia nullatenus de suo genere potest esse peccatum, quod Christus exercuit, qui peccatum non fecit, sed peccatum omne sua passione damnavit, juravit etenim Dominus, juravit & Apostolus Paulus: suae operationis exemplo monstrantes ad hoc tantum iuramentum esse prohibitum. ne iurandi facultas frequentiam, frequentia consuetudinem, consuetudo periurium introducat. Bonum est ergo iuramentum, per quod veritas rerum divino testimonio confirmatur, sed in salum est illi, qui eo male utitur, & a malo infirmitatis humanae est, ut aliquis verum proferens jurare cogatur.

Quartus error: Sacerdotes in peccato conterritos non posse conficere vel conferre Sacramenta.

§. 20. Quarta huiusmodi impiorum blasphemia de praedictorum Valdensem venena fonte prorumpens, Sacerdotes rite etiam & legitime secundum formam Ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus resposos, non posse conficere, vel conferre ecclesiastica Sacramenta constringit.

Quintus error: Evangelium in se solos esse completum.

§. 21. Quorum utrorumque demeritum ecclesiasticae veritatis doctrina redarguit, & censura percellit, quoniam nil a bono majus nil a malo minus perficitur Sacerdote, quia Sacramentorum virtus non in merito conferentis, sed in virtute sancti Spiritus & verbo proficitur Creatoris.

§. 22. Quintus error sic istorum hominum mentes obcaecat, ut Evangelium Christi in se solos hoc in tempore asserant esse completum, quod haecenus, ut ipsi somniant obiectum fuerat, immo prorsus extinctum.

§. 23. Quae impietas sic tenebrosos Manichaeorum calles obrat, ut tamen Montani atque Priscille foeda vestigia non relinquant: illi enim promissionem Domini de Spiritu sancto non in Apostolis, sed in se ipsis comple-

Ball. Rom. Tom. III. Pars II.

tam esse asserunt: Isti Evangelium Christi, cujus virtus in Sancti Spiritus perceptione consistit, ita in se completum autumant, ut ab illius claro intellectu, & vera observatione, universitatem fidelium mentiendo secludant. Sancta vero ac universalis Ecclesia talium hominum signata deridens firmissime tenet, & nullatenus dubitat, Spiritum sanctum juxta fidele Salvatoris promissam in B. Apostolos die Pentecostes sic plenissime fuisse refusum, ut illos omnem veritatem, quae ad salutem pertinet perfecte doceret, ut ipsos ad amorem Dei mirabiliter inflammaret, ut eosdem contra omnem tentationem munere virtutis firmitate muniret. Cujus Spiritus virtus illa sanctam Ecclesiam usque ad finem saeculi novam semper prole fecundat, ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium, & pietas actionum; quod profecto non esset, si sanctum Evangelium, in quo Christianae fidei regula continetur, omnibus esset clausum, & istis solummodo (quod cogitare impiissimum est) esset apertum.

Multos alios sectatur errores, & praedicant.

§. 24. Multa sunt alia, quae isti presumptuosi homines contra conjugii venerabile Sacramentum garrere dicuntur: Multaque de cursu temporum, & sine saeculi somniant; Multaque de Antichristi adventu, quem jamjam insinare asserunt, flebilis vanitate divulgant. Quae omnia quia partim haeretica, partim infana, partim fabulosa cognoscimus, damnanda potius cum suis auctoribus, quam stilo prosequenda, aut refellenda censemus. Ipsa enim mendosa commenta seipsa destrunt, quia nec ratione vigent, nec auctoritate constant, ne aliqua verisimilitudine fulciantur. In huiusmodi doctrinis variis & peregrinis saepe nominati homines studia sua conterunt. Ad haec simplicium corda blandis fictisque sermonibus, & simulatae humilitatis praetextu, attrahere moluntur.

Horatum se, Pontifex ait, fuisse Siciliae Regem, illos ut reprimere eorumque Superioribus traderet corrigendos.

§. 25. Cupientes igitur, quo dicti pestiferi homines, aut in melius commutato consilio a suis perveritatibus resillirent, aut saltem alios perniciosos sermonibus & suae pravitate exemplo contaminare non possent, Carissimum in Christo filium nostrum Fredericum Regem Trinacriae Illustrem haecenus rogavimus, & monuimus per Apostolica scripta mandantes, ut huiusmodi viros pestiferos & seminarios errorum, de praedicta insula expelleret, & poenitus extirparet, & Ministris, Custodibus, seu Guardianis dicti Ordinis Minorum, cum ab eis super hoc requireretur, faciendi etiam si expediret sepe dictos pseudofratre capi, & eorum superioribus tradi captivos, juxta disciplinam Ordinis corrigendos, studeat impendere favorem, consilium, & auxilium opportunum.

Quod ab ipso Rege completum.

§. 26. Ipse vero tamquam obedientiae filius per suas patentes literas nostrarum literarum seriem continentes, singulis officialibus suis, per dictam Insulam constitutis praecipiendo mandavit, ut ad capiendos huiusmodi falsos fratres Rectoribus dicti Ordinis, ut praedictae nostrae litterae continebant, darent consilium, auxilium, & favorem, quodque ipsa mandata in nostris contenta literis,

illi vero in diversis locis assegerunt.

fulerent executioni in omnibus demandare. §. 27. Quæ præsentientes pestiferi memorati, cum ad sinum piæ matris redire saltem ecclesiastica disciplina coacti humiliter debuissent, salubrem coercionem, & felicem necessitatem, quæ ad meliora compellit, fugæ præsidio declinarunt: nonnullis eorum in locis abditis, & latebrosis dictæ insulæ delictis, qui suis fautoribus, sub quorum defensione consistunt, pro mercede iniqui favoris, perversi dogmatis venena rependunt. Alii vero per loca infidelium discurrunt, mare & aridam circuire feruntur, ut unum saltem faciant profelium simul cum illis gehennæ ignibus applicandum, ii sunt quos Doctor gentium caute vitandos admonuit, dicens: Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ: & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones subministratum & constructum, crevit in augmentum Dei. si sunt diffidentia filii, nubes sine aqua, quæ ventis circumferuntur, sidera errantia, quibus procella tenebrarum reservata est, qui juxta Psalmistæ vaticinium: Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, erraverunt ab utero: a veritate scilicet Sanctæ Matris Ecclesiæ recedendo, locuti sunt falsa, vanos & varios errorum tribulos per diversas regiones præsumptione damnabili seminando.

Eos itaque ubi capi præcipitur, suscipite, quæ tradidit superioribus puniendos.

§. 28. Quamobrem zelus fidei, fervor compassionis animarum, exercitare debet corda omnium, qui Christi nomine gloriantur, & ipsius Sanctæ Romane ac universalis Ecclesiæ finibus continentur, ut contra istorum insaniam quasi contra publicam pestem valenter exurgant, nec eos in locis, ubi Christianæ religionis viget auctoritas, patienter pacifice vivere, quos adversus matrem & dominam suam, sanctam scilicet Romanam Ecclesiam rebellionis suæ calcibus & horrorum blasphemiarum conspiciunt insanire. Frustra enim utuntur nomine Christiano, qui talibus impietatibus non resistunt, & consequens est, ut possint hæc credere, qui possunt talia patienter audire. Tantas igitur & tam graves insolentias, errores pestiferos, detestabiles blasphemias in Creatoris injuriam, populi Christiani perniciem, & nepharia operationis exemplum per patientiam immo vecordiam tolerare nolentes, Universitatem vestram monemus sedule, hortamur attente per Apostolica vobis scripta in virtute obedientie districtè præcipiendo mandantes, quatenus præfato Henrico de Ceva, aliisque pseudofratribus qui ad memora tam Siciliæ insulam hæcenus confugerunt, nullum detis, vel dari quantum in vobis est permittatis in præmissis consilium, auxilium, vel favorem: quin potius ipsos velut apostatas excommunicatos, ipsius Ecclesiæ Romanæ rebelles schismaticos, & perversi dogmatis assertores, lupos graves gregi Dominico non parentes, a vestris sinibus arceatis, capientes ipsos, vel capi facientes, & captos tradentes Rectoribus sepe nominati Ordinis Fratrum Minorum, cum ab ipsis vel eorum Vicariis, Procuratoribus, seu Nunciis fueritis

requisiti, per eos juxta ipsorum demerita castigatione debita puniendos: dignum est enim ut apud illos patratorem scelerum poenas solvant, qui ipsorum lubricos calles, & tortuosas semitas per patientiam longi temporis exploratus cognoverunt, a quorum sacro consortio per apostasia vitium recedentes, omni pudore calcato non sunt confusi sanctam religionem, quæ ipsos in sinu suo fovet pietate materna, damnis afficere, maledictis pungere, convitiis lacerare.

§. 29. Proinde, quia ea, quæ contra jus & fas atque ordinariam potestatem temeritas humana præsumit, in poenam perturbati Ordinis quantocius debent juris auctoritate & Apostolica potestate convelli: Nos quicquid in memoratis Provincia Thuscæ, Insula Sicilia, & ubicumque locorum per sæpeditos Fratres, in personatum ad dictam sectam receptionem, in Generalis Ministri, & Provincialium, Ministrorum, Custodum, Guardianorum electione (si tamen electio dici possit) & in quibuslibet aliis communiter vel divisim, sub Religionis, Conventus, Congregationis nomine vel colore, attentatum extitit, vel extitit, nullius fuisse, vel esse roboris, nullius extitisse, vel existere decernimus firmitatis, unde ipsa cassa, irrita, & nulla censemus, & nihilominus, quatenus de facto processerant, auctoritate Apostolica revocamus.

§. 30. Ceterum, quia verendum est, ne ii præsertim, qui per professionem licet Fantasticam, ad prædictorum infame consortium transierunt, errores sapiant, & alios pestifera contagione corrumpant, omnes & singulos per eos ad suam sectam receptos, maximeque professores ad vestram presentiam per censuram ecclesiasticam evocate, examinare de fide, de prædictorum erroribus, per vos vel alium seu alios caute diligenterque perquirere sine strepitu & figura judicii, & ipsorum complicibus atque fautoribus indagare, & si opus fuerit ipsos capi & detineri curate: & si quos inveneritis culpabiles, secundum canonicas sanctiones poena debita punire curate: Invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis: Contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam compescendo. Testes autem quos ad præmissa videritis evocandos, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritatis testimonium perhibere.

§. 31. Volumus insuper & Apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat negotium, seu articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data presentium sit vobis & unicuique vestrum in præmissis omnibus & eorum singulis, etiam non ceptis presentibus & futuris, perpetua potestas, & jurisdictione attributa, ut eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis etiam non ceptis presentibus & futuris, contra prædictos procedere, ac si jurisdictione vestra & cujuslibet vestrum in prædictis omnibus & singulis per citationem, vel modum alium perpetua legitimum extitisset.

§. 32. Non

Ab istis facta omnia, & parata cassantur.

De fide etiam examinari eos, & culpabiles puniri mandatur.

Judicibus contra eos procedendi attributa facultas.

Obstantium derogatio.

§. 32. Non obstantibus de duabus dietis edita in Concilio generali, & sel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, per quas tam iudices, quam conservatores a Sede deputati prædicta, extra civitates & dioc. in quibus deputati fuerint, procedere, & vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a finibus suæ dioc. trahere prohibentur, & aliis contrariis constitutionibus quibuscumque, seu si aliquibus sit indultum a Sede prædicta, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti, aut extra certa loca trahi, vel ad iudicium evocari non possint per literas Apostolicas non facientes expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, ac eorum personis & locis, nominibus propriis, vel ordinibus mentionem, sive alia indulgentia dictæ Sedis generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam vestra jurisdictione explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua, cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis.

Dat. die 23. Jan. 1318. P. An. II.

Dat. Avinionæ X. Kalen. Februarii, Pontificatus nostri anno II.

XIV.

Ex Regest. in Arch. Vati.

Erectio Ecclesiarum Elesten., & sancti Pontii Thermolarum ac suppressio Episcopatus Limosæ.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Alma mater Ecclesia, quæ super omnes alias plenum dominium habere dignoscitur, nonnulla plerumque rationabiliter ordinat, quæ postmodum clarius inspecta veritate ipsorum, prout considerata major suadet utilitas, minorque læso provenit, in melius consulta deliberatione commutat.

§. 1. Sane dudum ad divini cultus augmentum, & ad salutem Populi, quem in Civitate, & Diocesi Narbonen. sic multiplicat Altissimus, quod ipsorum vultus nequibat, ut concederet, unicus Pastor inspicere, aut alias partes boni Pastoris implere, nomine animarum dispendio personarum degentium in eisdem, paternis studiis intendentes, pensantes etiam, quod Ecclesia Narbonen. sic in proventus, & redditibus affluenter abundare noscebatur, & noscitur, quod de ipsorum multitudine copiosa reddituum nedum uni seu pluribus Prælati juxta consuetumque status decentiam sufficienter poterat provideri; Nos ad ipsius divini cultus augmentum & spiritualem animarum profectum anhelantes ex animo, præmissis, & aliis suadentibus iustis causis attente pensatis Villam de Limosæ infra dictam Narbonen. Diocesim constitutam de Fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis in Civitatem ereximus, & ipsam volumus Civitatis vocabulo insignire: Decernentes quod Parochialis Ecclesia sancti Martini dictæ ville de

Ecclesia Limosina super ab hoc Pontifice in Episcopatum erecta.

Limosæ esset & haberetur ex tunc Ecclesia Cathedralis, ac ipsam cum prædicta villa capitulo, & Diocesi limitandam ab omni jurisdictione dominio, & potestate Archiepiscopi, Capituli, & Ecclesiæ Narbonen., quibus subesse antea noscebatur; majoritate tantum seu superioritate in ipsis dictæ Narbonen. Ecclesiæ, sicut in aliis suffraganeis suis habere dignoscitur reservatis, duximus eximenda; & quia præfata Ecclesia de Limosæ facultates non habebat ad Episcopalem sufficientes honorem, decrevimus Episcopo Limosæ, qui esset pro tempore, de situatis redditibus ejusdem Ecclesiæ Narbonen. quinque millia Librarum Turonen. parvorum debere summam annuam assignari, prout hæc in nostris super hoc confectis Literis seriosius narrabantur.

§. 2. Cumque postmodum ad partes illas ad inquirendum, in quibus locis limitatio Diocesis, & assignatio reddituum prædictorum eidem Ecclesiæ de Limosæ magis accomode, & cum minori deformatione, & læsione prædictæ Ecclesiæ Narbonen. fieri deberet, & posset, certas, & sufficientes personas duximus destinandas: quare tam ex relatione fidedigna ipsorum, quam etiam plurium Canonicorum ipsius Ecclesiæ Narbonen., & Procuratorum etiam Archiepiscopi memorati, qui conditionem, & statum Ecclesiæ Narbonen. prædictæ, & singularium locorum dictæ Diocesis plenè noverunt, compertum est, quod si in dicto loco de Limosæ hujusmodi Cathedralis Ecclesia remaneret, in assignatione Diocesis, & reddituum prædictorum præfata Ecclesia Narbonen. tam in redditibus, & locis sibi magis accomodis, & vicinis, quam etiam in assignatione Diocesis deformaretur plurimum, & non modicum cederetur; & quod Monasterium Sororum de Pruliano secundum instituta Fratrum Prædicatorum inventum olim Diocesis Tholosan., cui prædicta Parochialis Ecclesia de Limosæ sic in Cathedrali erecta subiecta fuerat, & in qua multos redditus & proventus percipit annuatim, enormiter lædebatur, nec sibi poterat loci commoditate pensata recompensatio competens exhiberi: quodque ad amplioris ipsius divini cultus augmentum in locis infra scriptis duæ poterant erigi Ecclesiæ Cathedrales cum majori animarum profectu, & longe minori læsione ipsius Ecclesiæ Narbonen., tum quia Monasteria prædictorum locorum in redditibus sic affluenter abundant, quod ipsis ambabus Ecclesiis redditus, qui ipsi Ecclesiæ de Limosæ fuerant conferendi, sufficere poterunt equa distributione collati, tum etiam propter ipsorum locorum distantiam ab Ecclesia Narbonen. propter quam in assignatione Diocesis & reddituum faciendi eisdem Ecclesiis erigendis non tantum deformationem seu damnum eadem Narbonen. Ecclesia recipere poterit: sicut in erectione solum Ecclesiæ de Limosæ præfatæ; præmissis & aliis suadentibus iustis causis cum Fratribus nostris plene discussis, quod super erectione Civitatis & Ecclesiæ prædictarum per nos factum erat, revocantes & cassantes expresse, de consilio & auctoritate prædictis ac ex certa nostra scientia ad laudem Dei & exaltationis

Quibus de causis ab eodem suppressa manet.